

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA;
DE

PLORATU INFANTUM SANORUM SUB PARTU,

Quarum gesunde Kinder weinend geböhren werden;

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Ex Consensu atque Auctoritate Gratiösæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LUOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXXVIII. D. FEBRUAR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET
R E S P O N D E N S

JOH. FRIDERICUS GOLDKORN,

REGIOM. PORUSSUS.

Physiol.

67, 2.

HALLÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

Physiol. XIV. 10.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

VIRIS

*PRAENOBILISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS
ATQUE EXCELLENTISSIMIS*

DOMINO

CHRISTOPHORO
DANIELI MELZERO,

S. R. M. IN PRUSSIA CONSILIARIO AULICO ET CON-
SISTORII SAMBIENSIS DIGNISSIMO, MEDICINAE DOCTORI
ET PROFESSORI CHEMIAE ORDINARIO IN REGIOMON-
TANA ACADEMIA MERITISSIMO, DISTRICTUS
SAMBIENSIS PHYSICO SOLERTISSIMO,
H. T. DECANO SPECTABILI,

UT ET

DOMINO

CHRISTOPHORO
GOTTLIEBBÜTTNERO,

MEDICINAE DOCTORI ET ANATOMIAE PROSESSORI
IN ACADEMIA REGIOMONT. ORDINARIO OPTIME
MERITO PHYSICO SAMB. DIGNISSIMO,

*DOMINIS AC FAUTORIBUS SUIS
COLENDISSIMIS*

HOC

DISSERTATIONIS INAUGURALIS SCHEDIASMA
PERPETUAE OBSERVANTIAE DOCUMENTUM
SACRUM ESSE VULT
JO. FR. GOLDKORN.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include names like 'CHRISTOPHER' and 'DAMIAN'.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include names like 'CHRISTOPHER' and 'GOTTFRID'.



PROOEMIUM.

Memorabilis eaque divina est elocutio, quam JEREMIAS ex ore & nomine Domini Jovæ *cap. XXXI. 16.* profert: *cohibe & vocem tuam a ploratu & oculos a lacrymis, quoniam erit operi tuo merces:* Inde liquet interdum speciali providentia & bonitate cœlesti sementem tristem ac cum ploratu lacrymisve humectatam, messem lætam & cum gaudio coronatam excipere, ita ut labor lacrymabilis lætificam nonnunquam ferat frugem: quos Deus mœstificat, illos sæpe iterum lætificat: & talis est mutatio vitæ humanæ, quæ cum jubilate & ejulate, tristitia & solatio sæpe alternat: multi justo dolore miseriam & calamitatem suam deplorant, multi etiam vicissim impatienti ploratu dolores & afflictiones sibi contrahunt: multi aut veram, aut apparentem, aut dolo- sam plorandi causam habent: plurimi sine tali ratione ploratus effundunt, & tamen clandestinam plorandi causam habent: plurimi homines alma dirigente gratia, sani per naturalem partum spectabilem hunc ingrediuntur mundum, plurimi etiam uteri

A 2

clau-

clauſtro emiſſi, non lætabundi & hilares, ſed plorantes & lacrymantes obſervantur, & ita homines poſt lapſum hanc lucem prima vice tristes adſpiciunt: de hac obſervatione CYPRIANUS *Sermon. III. de bono patientiæ Vol. 1. p. 464.* inquit: *unusquisque dum naſcitur & hoſpitio bujus mundi excipitur, initium ſumit a lacrymis, & quamvis adhuc omnium neſcius & ignarus nihil aliud novit in ipſa illa prima nativitate, quam flere, providentia naturali lamentatur. Vitæ mortalis anxietates, labores & procellas mundi, quas ingreditur in exordio ſtatim ſuo ploratu vel gemitu rudis anima teſtatur. Sudatur enim, quamdiu iſtic vivitur & laboratur: quo cum eloquio alterum ejusdem effatum convenit, quod continetur in Lib. 1. Ep. 8. in primo ſtatim nativitatis ſuæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* Hæc & ſimilia alia teſtimonia videntur naturali adverſari ordini; quicquid enim in ortu ſuo exiſtit, e robore in robur, e vi in vigorem plus ultra & continuo progreditur tramite; ſub quo proceſſu non contriſtandi, ſed gaudendi magis occaſio affulget: etenim eo ipſo omne quod vivit, e primis rudimentis ad majorem firmitatem, perfectionem & capacitatem tendit: ſub quo ſtatu non lacrymandi, nec plorandi, nec lamentandi, tempus eſt, ſed lætandi, ſi quis enim alias obſcuro, anguſto & angente carcere emiſſus, libero vivendi generi reſtituitur, toto exultat corde: Sed aliter communem naturalem obſervationem indicat & dijudicat SENECA *conſolat. ad Polyb. c. 23. & conſolat. ad Marc. c. 11.* Non vides, inquit, *qualem vitam nobis rerum natura promiſerit, quæ primum naſcentium*
omen,

omen, fletum esse voluit: hoc principio edimur, huic omnes sequentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus. *Heinr. Müller in Grav. Stunden 283. Betr.* dicit: angelebet, angeweint, fortgelebt, fortgeweint, ausgelebt, ausgemeint. Prima loquela hominis in ploratione & illacrymatione consistit: In Silentio nulla spes sanitatis & integritatis affulget pro infantibus, naturali partu editis. Sed quis docuit psittacum suum *χαιρε*: hic rectius exclamare possumus, quis docuit hominem suum flere! Et ita homo inter fordes, ploratus & lacrymas paritur, juxta *LUCRETIIUM L.V.v.224. tum porro puer, ut sævis projectus ab undis navita, nudus humi jacet infans indigus omni vitali auxilio, quam primum in luminis oras nixibus ex alvo matris natura profudit, vogituque locum lugubri complet, & æquam est, cui tantum in vita restet transire malorum*: Et cum infantem, matris sinum jam egredientem, amici optimo animi affectu excipiunt, ita magis inter amicos ridendum, quam flendum esse, ratio judicare posset: juxta *ARISTOTELEM Sect. 29. probl. 8. cur minus risum retinere possumus, cum amicos nostros familiaresque videmus*: Sed iterum alia est elocutio in *Anthologia Græcorum Lib. 1. cap. 13. epigr. 10. in lacrymis lucem vidi in lacrymis linquo in lacrymis vita est tota parata mihi*. Dum masculis turpitudini ducitur lacrymis scaturire, *PLATONE* judicante *de Republica dial. 3. Lacrymæ a clavis viris auferendæ sunt, mulieribus autem tribuendæ*, ita sub partu promiscue utriusque sexui & fructuosum & necessarium esse judicatur, si strenue & clara voce ploratus suos emittit. Ridentes & jubilantes nati, variis relinquuntur prognosticis,

sticis, vix tamen illud aliis applicari potest, quod **SOLINUS** in *Polybistore cap. 4. p. 165. de Zoroastre* edixit: *Nascentium vox prima vagitus est: lætitiæ enim sensus differtur in quadragesimam diem: itaque unum novimus eadem hora risisse, qua erat natus, scilicet Zoroastrem, mox optimarum artium peritissimum: Quare aliqui ridendi certum destinarunt temporis a quo terminum, sicut **PLINIUS** inquit *Lib. VII. natur. histor. in præm. at bercule risus, præcox ille & celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur: conf. ARISTOTELES hist. anim. cap. 10.* Quamvis autem brevi post partum tempore, & paucis abhinc horis atque diebus infantes, præcipue sub somno ridere soleant, ut propterea mulierculæ plebejo sensu judicent, bonos angelos aut genios, infantibus talibus destinatos, cum hisce aut colloqui, aut ludere, mirum tamen est, cur solennem illum ploratum, quo plurimi infantes mundum visibilem intrant, non simili, aut alio prognostico dijudicent: Alias quidem medici involuntarias lacrymas, præcipue in morbis, fatali Prognostico decantare solent, teste **HIPPOCRATE** *Epid. 1. Sect. 2. Lib. 6. Sect. 2. Sect. 8. apb. 2. Lib. Prænot. text. 18. seq.* nec aliæ scaturiunt lacrymarum stillæ in infantibus, quam juxta **AUGUSTINI** effatum *homil. 10. testes humanæ miseriæ: Ast qui fabulis Astrologicis annuentes præbet aures, facile opinari posset, morosum rectorem atque dominum domui & processui partus præfidere, unde & matrem & infantem cum dolore, cruciatu ac ploratu partum subire, quasi malignus, inimicus, insidiosus & perniciosus planeta enixum urgeat ac severo judicio**

cio

cio impellat: sicut vulgo Saturnus austerus & inferus in generationis negotium ex eadem futili superstitione traditur, *vid. Conciliator. in differ. phys. 44.* GR YLANDUS in *Sortileg. qu. 13. n. 3. 4.* ARGOLUS in *Epemer. p. 47.* CASMANNUS *Psychol. Part. 1. cap. X. qu. 2. p. 217.* SENNERTUS *Prax. Lib. IV. Part. 2. Sect. 6. cap. 1. ad finem, Casp.* REJES. *Camp. Elys. jucund. qu. 90. n. 14. A. N. C. Dec. 1. an. 4. 5. obs. 23. p. 21.* GODOFREDDUS *ad L. 3. §. fin. lit. K. ff. de suis & legit. hered.* STRYK *de Fure Sens. disp. 1. c. 1. n. 42. p. 43.* Hæc singularis spectabilis mundi salutatio, qua homines, quam primum illum intrant, plorantes ac dolentes eundem afficiunt, ulteriorem disquisitionem meretur, quam medica præcipue contemplatione præfente Inaugurali Specimine proponere, ideoque de PLORATU INFANTUM SANORUM SUB PARTU succincta tractatione agere constituimus, cui instituto ut divinum præsto sit adjutorium, piis votis contendimus.

§. I.

INter illas proprietates, quæ homini *connatae* sunt, merito etiam *ploratus* referri meretur, quare PLINIUS inquit in *præf. Lib. VII. hist. nat. hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturæ sponte*: huic effato licet nonnulla opponi possent, quæ tamen *ploratum* attinent, facilius certiusve veritati consona sunt: nec quidem certorum populorum mos per traducem propagatur, quando liberorum nativitas lacrymis excipitur: uti POMPONIUS
MELA

MELA de *Thracibus* inquit: *Lugentur apud quosdam puerperia, natiq̄ue deflentur: funera contra festa sunt & veluti sacra, cantu lusuq̄ue celebrantur Lib. II. c. 9. SOLINUS in Polyhistore cap. 15.* Prout autem infantili & puerili ætati plorare, ejulare & lacrymare familiarissimum est, ut inter germanos in proverbium abierit, fletschen, flennen und heulen, wie ein klein Kind, tamen flendo & plorando confortia hominum & vitam spectabilem ingredi, altioris est indaginis: & talem vitæ introitum GREGOR. NYSSE-
NUS hisce verbis in orat. de infant. præmature mortuis, exprimit: *prodiit homo per nativitatem in vitam: hausit aërem: a gemitu vitam inchoavit: lacrymas natura muneris vice impendit: primitias vitæ solvit, & libamina facit de fletu.* Hosce gemitus & ploratus infantum sanorum, ex uteri claustro, visibilem hunc mundum intrantium, amplius ac disertius nunc indagare & explicare annitemur: In hac disquisitione sequentes respectus servabimus & annotabimus: primo quod infantes plorent, dein quod hic ploratus, sub partu præcipue annotationem mereatur; porro quod non omnes, sed sani imprimis sub partu plorare soleant debeantque, & tandem quæ causa hujus calamitatis, afflictionis & gemitus existat: etenim non sine ratione quæstio moveri posset, cur non fœtus ante partum ploret, cur non sub partu aut videat, aut fileat, dum nonnulli infantes tacendo pariuntur, & quidem aliquando sani, interdum debiles: Plorare infantes consuetum est: videre aut vel sub, vel brevi post partum rarum est: natos autem paucas post horas aut dies a partu risisse non infrequens est: huc quadrat ex aliorum suffragio CAMERARII effatum & testimonium in *Sylloge memorabil. Cent. XI.*
par-

partic. 29. qui ex *Historia Zoroastris* putant, risum infantibus esse adversum omen, non bene videntur conjectare, cum præsertim dicat Hippocrates, ubi loquitur de partu, pueros ridere statim natos: videre enim pueros ad parentes suos habitum veteribus pro bono omine - - ubi mundus aridet videnti puero, nam hujus risus videtur describi, per serenam frontem, per non vagitum: ideo idem autor partic. 30. indicat, infantes ante 40. diem non ridere, non universe verum esse. Singulare tale testimonium Risus, in primo natiuitatis die observati, commemoratur in *A. N. C. Dec. 3. an. 1. obs. 45.* Pertinet huc assertum HIPPOCRATIS *Libro genuino de Septimestri §. IX. text. 12 sq.* peculiarem quidem sapientiam in corpore inesse manifestum est, in prima sane die: nam in somnis statim ubi nati sunt pueri, ridere & plorare videntur: vigilantes quoque sua sponte statim vident ac plorant, priusquam quadraginta dies transeant: non rident autem, etiam si titillentur ac irritentur, priusquam hoc ipsum tempus transeat. Et licet maturum talem risum alii ominosum esse judicent, velut MERCURIALIS *Lib. V. variar. lect. cap. 17.* testatur, quod videlicet in pueris, si statim a partu & dormientes & vigilantes ridere videantur, convulsionis potius quid, quam naturalis risus adesse appareat, contrarium tamen cum nominato CAMERARIO testatur SCHROECKIUS in *S. holo nominatæ observationis A. N. C. p. 63.* ipse, inquit, quoque puellam altero a natiuitate die leviculo risu blanditias adstantium excipientem vidisse me recordor. Quoniam autem non risum movebimus, sed plorantium infantum gemitum sub partu indagare placet, ideo hunc affectum animi, tanquam ordine primum, in vita naturali disquisitione dignum æstimamus: quemadmo-

B dum

dum varia animalia inter ovipara & vivipara, sub partu æque sonitu, speciei suæ conformi, velut pullos in ovis adhuc contentos, ante exclusionem & sub illa pipientes audimus, aliaque multa animalia, aëris usu indigentia, quamprimum sub partu hujus accessum sentiunt ac subeunt, clamorem edere observamus, qui communiter *anxium* quempiam affectum prodere solet.

§. II.

Hunc *ploratum* quod attinet, tunc illum clamorem & gemitum *tristem*, ejulantem, *inarticulatum* dicimus, & a voce distincta & articulata discernimus, sicut ARISTOTELES per vocem *Sect. XI. probl. 60. sermonem articulatum* denotat, vid. STOBÆUS *Eclog. Phys. Lib. 1. tit. de voce*: GALLENUS *Lib. de fœtum format. c. ult. proprio* itaque significato vox juxta PLUTARCHUM *Lib. 4. de placit. philos. c. 19. Spiritus ab animo eductus & ictus aëris, i. e. ordinata & aperte rationalis distinctorum verborum enunciatio est: cum ploratus confusus, turbulentum ac inordinatum, cum tristitiæ affectu conjunctum, sonitum comprehendat: ob id etiam ploratus a voce fusca, cujus SÆTONIUS in *Nerone cap. 20. meminit, distinguitur, quæ non candidam, aut claram, sed raucam, asperam & obscuram vocem indicat. In sensu quidem ampliori varii philosophi animalibus brutis certam vocis speciem concedunt, e quibus ARISTOTELEM hoc loco producimus Sect. XI. probl. 24. 40. 57. Lib. V. de generat. anim. c. 7. de histor. anim. Lib. 6. c. 28. conf. D. D. PRÆSIDIS disp. de Loquelæ usu medico, in præf. Et hic ploratus iterum separatim a vagitu nudo significatum comprehendit, qui posterior paucum & abruptum sonum, ploratus autem, continuatum clamorem inestum, plan-**

plangentem, ejulantem complectitur: talem planctum infantum sub partu CARANZA de Partu naturali & legitimo cap. IX. pag. 443. b. allegat: nos loquimur de nuda & inarticulata voce, dissonove sono ab ore vagientis infantis procedenti: qualem ploratum gementem etiam muti sub partu edere solent: uti idem CARANZA l. c. p. 444. a. testatur, in vagitus, dicens, ploratus, garritus, ululatus, planctus, ejulatus & singultus muti semper & omni tempore natura ab assuefactione gutturis motione proniores sunt: & paulo ante inquit: plane consequimur, muros recens natos vocem (nam de articulata non loquimur, quæ vocis illustrat conceptum) ac cæteros emitte, i. e. vagitum. Et hic ploratus non modica afflictionis nota, sed magna exclamatio est, qua infantes planctum suum admodum manifestant: Lacrymatio quidem sæpe clandestina & occulta esse potest, plorare tamen plus autoribus esse videtur, quam lacrymare: ideo SENECA Ep. 63. inquit, lacrymandum est, non plorandum: Ploratus itaque involvit clamorem plangentem, quare germani weinen und heulen, distinguunt, dein heulen und schreyen conjungunt; & de infantibus, qui sub partu plorant, dicitur sich in die Welt (non lacrymare oder weinen) sed clamare schreyen: oder das Kind habe die Welt beschrien: Ita ante dictum est, quod vagitus & ploratus gradu differant, ille winseln, wimmern, sicut infantes, das Kinder-Geschrey, plorare rectius clamorem complectitur: interea tamen a PLINIO hist. nat. Lib. 7. præf. infantibus sub partu vagitus & ploratus tribuitur: & quia talis planctus, clamorosus, fæminis & infantibus familiaris est, ideo LIVIUS 29. 17. eloquitur: passim omnia mulierum puerorumque ploribus sonant: Nec enim semper

ploratio illacrymationem aut necessitat aut continet, sed aliquoties *separati* actus sunt, præcipue in subjectis *difficulter* lacrymantibus & *siccioris* corporis, unde nonnulli homines intense ejulant *sine ullius* lacrymæ effusione, quod alii *duro* ac *pervicaci* animo adscribere solent: alii plorantes admodum *clamant*, sed non lacrymant, quibus *simulatio*, adulatio ac hypocrisis adscribitur: alii facile quidem & *levissimam* ob causam *prodigas* lacrymas profundunt, sed reliquo ploratu *exiguum* angorem produnt, quare *fraudentæ* crocodillorum lacrymæ nominantur: ex hac animadversione significamus, infantes *sanos sub partu* ut plurimum quidem *plorare*, raro lacrymare, sicut jam *nati* infantes sæpe vagitum & ploratum suum edunt, absque lacrymis: & ex hac ratione alii de *ploratu & lacrymis* infantum *conjunctis*, acerbiorum & *graviolem* dolorem ac urgentem causam colligunt atque concludunt, ideoque vulgo infantum ministræ commiserantes eloquuntur, Das arme Kind weine Thranigen, quasi *justa & magna* sit causa plorandi, cum interdum plorent *sine* lacrymis ob indignationem, contumaciam, repugnantiam, pravam consuetudinem &c. quos propterea *trözige, störrige, böse, verwöhnte* Kinder appellat:

§. III.

Alter respectus in ordine tractationis præsentis explicandus, concernit ploratum infantum *sub partu* contingentem: quoad *infantis* notionem, non multum disquisitioni instituendæ immorabimur, in quantum *infans a fetu & foetus* ab *embryone* discrepet: quam ultimam differentiam quidam *nimis scrupulose* instituunt & captiose urgent: brevissimis significamus, infantem nobis illum vivum esse hominem,

nem,

nem, qui nunc partu naturali ac legitimo in lucem editus, & ex parte jam uterum emigravit, proinde autem eandem vitam naturalem ad septimum usque ætatis annum protrahit: quippe qui terminus genuinus est a quo & ad quem: discrepantiam tamen aliqui inter παιδλον & νήπιον formant: de priori DIETERICUS in *Fatr. Hipp. n. 643. p. 925.* inquit: *infantia plerisque autoribus, prima annorum hebdomade finitur ferme: παιδλον enim de primo vitæ septennio dicitur: νήπιον autem de secundo: de infantibus vix ab utero materno prodeuntibus παιδία extat ap. Hipp. Sect. III. aph. 12. qui in lucem eduntur: de posteriori n. 570. p. 832. Hoc nomine utitur Hipp. de fœtu in utero existente Sect. IV. aph. 1. cum nondum mensem attigit quartum: conf. III. Epid. S. 2. t. 7. 8. Cosp. REJES. Camp. Elys. juc. qu. 55. Recte tamen BRUNO in Lexic. tit. Infans addit: Infans communiter sumitur de recens natis, usque ad illud tempus, donec incipiant sermone uti: hæc enim videtur vocis derivatio a non fando: annectimus P. ZACCHIÆ annotationes in *Quæst. med. Legal. Lib. 1. tit. 1. qu. 3. n. 9. 10.* porro licet infantia, quæ prima ætas est, a die nativitatis enumerari incipiat, non vero a die conceptionis, tamen infans dicitur etiam fœtus in utero existens, in Sacris literis citante MENOCHIO de arbitr. Lib. 2. cent. 1. cas. 17. n. 8. quin etiam & apud ipsos medicos fœtus jam in utero perfectus & omnibus membris absolutus infans vocatur, ut patet ap Hipp. qui 3. de morb. vulg. agr. 10. bimestrem aut trimestrem conceptum infantem appellavit, ut testatur inibi GALENUS in Comment. & repetit. 1. de Sem. cap. 9. class. 1. conf. ib. ZACCHIAS n. 1. infantes itaque usque ad septennium sunt, qui scilicet fari, i. e. cum iudicio loqui non possunt, quæ annotatio est coc-*

CEJI: ZACCHIAS pergit n. 2. nos tamen juxta communio-
 nio-rem opinionem dicimus, infantiam esse aetatem primam a
 die nativitatis, usque quo expedite homo loqui incipiat, cum
 enim infans dicatur is, qui fari non potest. SORBAIT inquit:
 infans qui nondum fari cepit: puer qui purus est & non-
 dum ad pubertatis annos pervenit. *Medic. Pr. tr. 4. c. 1. p. 558.*
§. 1. Sermo itaque nobis est de illo manifesto plangente cla-
 more, quem infantes edunt, dum jam proximius sub partu
 consistunt, quando non modo capite, ideoque legitimo situ,
 uterum egrediuntur, wann sie in vollen Durchbruch stehen,
 sed & in illo articulo temporis comprehensi sunt, quo uni-
 verso reliquo corpore vel spontaneo nisu & officio, vel ob-
 stetricatoria ope plenario exitu, uteri cavitatem atque clau-
 strum deserunt, quare non inversum, difficilem, tardum,
 laboriosum & periculosum partum intelligimus, quando
 foetus vel pedibus, vel manibus &c. primum nativitate
 proditur; sub quali partu infantes eo usque enervantur,
 ut vel exiguum, vel nullum sonitum edere queant: eapro-
 pter nos hac deductione clamantem ploratum indicamus,
 qui sub partu, ab infantibus legitime ac prompte natis ex-
 ercetur: hinc cum REJESIO *loc. cit. num. 5.* non consenti-
 mus, quando ibidem asserit: *infantes sub partu vagitum*
emittere, & talem esse illam vocem, non ploratum (ratio)
quia usque ad 40. diem infantem nec plorare nec videre do-
cuit Hippocrates, cujus asserti tamen contrarium ante
ex Hippocrate tradidimus) ex quo sumpsit ARISTOTELES
& scripsit, qui nec flere, nec quantumvis titilletur videre us-
que ad 40. diem aperte tradidit, sed tantum vagire. Histor.
anim. Lib. 7. cap. 10. Ast hoc iudicio sibi contradicit Hip-
 pocrates: nec Aristotelis observatio infallibilis, nedum
 qui-

quidem *universalis* est: Ille itaque sonitus, quo cum infantes hunc mundum intrant, non *abruptus* aut *debilis* & exiguus vagitus, ein wimmern, ächzen, stöhnen, winseln, sed *tristis* atque *ejulans clamor*, ideoque ploratus ein weinendes Schreyen existit.

§. IV

Hic ploratus *sub partu* contingens consistit in *claro* & eminenti *clamore* infantum, quem inchoant, quamprimum in *ultimo* exitu *ex utero* constituti sunt: ideoque appellatur ein Schreyen: differt propterea a *vagitu fœtus in utero*; de quo non modo *varia* testimonia & *exempla* ab authoribus allegantur, sed & *diversæ* sententiæ de tali *clandestino* & *occulto* sonitu passim proferuntur; siquidem quidam illum negant, alii eundem affirmant: *conf. REJES. l.c. n. 1. 2.* quidam vagitum talem *ominosum* & *prodigiosum* vocant, alii *naturales* illius causas allegare sciunt: *vid. CAMERARIUS Syllog. Memorab. Cent. XI. partic. 16. - 18. Tim. a GULDENKLEE L. 4. casu 24. de ploratu Fœtus in utero A. N. C. Dec. 2. an. 5. obs. 94. & Cent. 1. p. 121. de vagitu uterino SCHURIGIUS in Sialogia p. 395. Bresl. Gesch. der Nat. und Kunst 6. Vers. p. 1877.* ubi *multi alii* testes atque *judices* adducuntur: Sed dum hoc themate non de *vagiente* gemitu fœtus in utero differimus, ita in hac consideratione non operam ulteriorem impendere cogitamus, interea autem *non in dubium* vocamus, fœtum in *utero* *vagire* posse, quod *Pet. GARCIA de locis affectis disp. 71.* quidem negat, *lacrymas* autem *profundere* posse, affirmat & concedit: Notatu autem dignum est, quod infantes, quamdiu *capite* ex utero *excluso* *brevissima* temporis *mora* illico detinentur, plorantem talem *clamorem* *non* facile

aus

aut semper edant, sed sub *angustiis* comprehensi, *taciturni* latitent, donec *toto reliquo corpore simul & semel* ex utero egrediantur & trahantur, sub quo actu sat *strenue* ploratum suum proferunt, qui *brevi temporis termino continuat*, iterumque facile remittit, quando nati tales infantes sub aliquali *quiete* in gremio muliercularum foventur, nec diutius *inquietantur*, aut variis *motitationibus* afficiuntur, quibus denuo ad similes quiritationes commoventur: quod si autem citra datam causam *a partu* peracto plorantes suos vagitus atque clamores *constanter* nimium continuaverint, tunc apud superstitiosam ac credulam plebem suspicionem incidunt, quod supposititii sint infantes, quos a *vagiendo, vagiones*, Campiones Wechselbälge nominant, de quibus multæ narrantur fabulæ *conf. MERBITZIUS disp. de infantibus Supposititiis*, FROMMANN *de fascinat. magica Lib. 3. Part. 4. Sect. 1. cap. 10. §. 19. p. 627.* de tali ploratu, post partum eveniente, judicat SORBAIT *Medic. Pract. tr. 4. c. 6. p. 567. ploratus infanti ante lactationem prodest, post vero, concoctionem impedit: ad minuendum ploratum suadet: solvantur fasciæ inspiciaturque an non forsan pungatur vel nimium coarctetur aut contorqueatur aliquod membrum.* Talis ploratus de quo hoc themate agimus, vegetus, *vis strenuus, clarus & distinctus, existit, ein starkes übernehmliches, lebhaftes Schreyen, ex quo infantum robur, integritatem & sanitatem alii dijudicare solent, es sey ein munter, gesund Kind, es lasse sich lustig hören: cum vicissim vagitus, ein winseln, gemitus seuffzen und stöhnen, aut debilis, obscurus clamor ein matt und schwaches winnern, ubi pulli instar pipiunt, es quicke, wie ein Hühnichen im Ey, infirmum indicet infantem: ille ploratus sub partu*
inter-

intensior est, quam post partum, ita ut facile judicare liceat, partum hujus clamoris plangentis genuinam causam esse, quoniam peracto illo anxius hic clamor successive remittit: ideoque naturalis, legitimus, ac conveniens partus cum hoc ploratu proximam servat connexionem. Nec tamen hic comitatus partus atque ploratus pro nuda consuetudine aestimandus est, sed causæ hujus nexus, inferius proferendæ, altioris sunt indaginis, ita ut antiquissimi Patres Ecclesiastici, Philosophi & Medici hanc observationem annotatione & indagatione maxime dignam habuerint: Vulgo quidem talis ploratus vix peculiari attentione dignus reputatur, quia familiarissimum est infantibus ob levissimam etiam causam & lacrymare & ejulare, ut in proverbium quasi transiverit, tales clamores non attendendos esse, man müsse auf der Kinder und Weiber heulen nicht acht haben, hocce tamen ploratus infantilis primitias & Theologi, & Jureconsulti, & Medici, & Philosophi indagatu & dijudicatu dignas aestimarunt; ob id non cum piebe sentire, nec illas contemnere, aut incuriosius tractare decet, dum prima velut loquela & allocutio ab infantibus tali ploranti quasi voce ac clamore perficitur, tamdiu in utero mutilatuerunt, & nunc non gaudentes, sed gementes, non jubilantes, sed ejulantes spectabilem hunc mundum ingrediuntur, quod æque ita ominosum esse apparet, ac si a natiuitate per plures annos muti, quorum suavem loquela intimo expectatur desiderio, tandem prima vice terribiles exprimunt voces, quas magis jucundas ac melioris spei proxima expectatione profecuti fuerant.

§. V.

Excipit nunc proxima annotatio, ut indicemus ploratio.

C

ratio.

rationem talem sub partu a *sanis* perfici infantibus, id quod *prius* quoad *communem* observationem proponemus, dein quoad nonnullas *exceptiones & oppositiones* explicabimus. *Primo* itaque loco sciendum, quod nonnisi *sani* infantes, *clarum* talem plorantem sonitum edant, dum ad talem motum *vires* necessariae requiruntur; hinc partui adstantes mulieres ex hoc clamore *bonum* capiunt omen, videlicet natum infantem vegetum, *sanum* & robustum esse, es sey ein gesund Kind, welches sich wacker und munter hören lasse: ex observatione enim *communi & quotidiana* constat infantes, qui sub partu *strenue* clamarunt, quoad *omnia* iudicia bono ac *vivaci* vigore praeditos apparere, manibus enim pedibusque *vegetius* se movent, oculis *alacriter* circumspiciunt, *colorem* corporis vivacem & *sanum* afferunt, *digitum* ori immissum prompte & robuste *apprehendunt* & ad suctionem citius se aptant &c. contra vero *invalidi*, debiles & *morbosi* infantes sub partu aut altum tenent *silentium*, aut valde *infirmo* sonitu se produnt, aut *suspectum*, raucum, *obscurum*, exiguum, brevem sonitum edunt, unde alii colligunt, es sey ein schwaches, mattes Kind, welches dem Tode nahe: quem propterea variis confortantibus excitare, reficere & revificare contendunt. De hac observatione ita REJES. *Camp. Elys. juc. qu. IV. n. 3.* differit: *infantem statim ac in lucem exit plorare, ita omnibus commune, ut rarissimum fuerit, quod de filio suo Henrico narrat Smetius miscell. Lib. X peculiare illi fuisse, ut natus nullum vagitum ederet, aut ploratum emiservit; quem tamen quarta die epilepsia invasit, forsitan & dum nasceretur, unde ligatis sensibus & oppressa animali virtute nec vagire, nec causas, quae bujus ploratus in ipso ortu omnibus infantibus*

tibus communes assignantur, percipere potuit: unde non mirum si a sensibus abstractus, aut præ debilitate, casuve alio impeditus vagitum edere non potuerit: annectimus effectum Ludovici BONACIOLI in *Enneade Muliebri s. de fetus formatione c. 8.* ac DEODATI in *hygiast. panth. Lib. 1. c. 9.* infans mox cum exierit vocem emittit, slet atque vagitat, manus in os quam primum inserit: quo asserto naturalem vivi ac sani infantis nativitatem, cum hoc ploratu conjungunt: Superstitionem autem papalem olet, quando huic ploratu non modo distinctum sensum ac significatum, sed & similem interpretationem sequenti explicatio-ri affingit SCOTUS in *physiognom. cap. XI.* Vir, inquit, natus voce clamat ô A! Fœmina vero ô E! quasi masculus dicat: ô Adam! quare peccasti? quia pro te patior miseriam infinitam: fœmina vero dicat in suo lamentabili cantu: ô Eva! quare peccasti? nam tuo peccato sum passura miserabilem vitam in hoc mundo: quam opinionem latius allegat KORNMANNUS de *miracul. vivor. p. 6.* tali itaque clamore infantes sub partu accessum suum vivum, vitalem & valentem testantur, ex cujus auditu fausta, defectu contra infau-
 fausta formantur omina; nec maturius alii de nato infante ejusque vitali duratione & conservatione bonam & fundatam, spem concipiunt, quam si infirmus infans intensiori sonitu & clamore vires suas redeuntes testificatur; quo casu alii clamorem infantum recens natorum rectius expectant, optant ac promovent, quam nimium clamorem illorum alio respectu *attemperandum* esse, quidam præcipiunt, uti Roder. a CASTRO testatur de *Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 30. p. 332.* Cæterum a clamore pueri in totum ar-
 cendi non sunt, nam sic pulmones & pectus dilatantur ma-
 C 2 gis,

gis, calor natus fit vegetior, cerebrum, nares, oculi & os
 fusis lacrymis expurgantur, non tamen diutius aut conten-
 tiosius clamare sinantur, ne ramex intestini in scrotum deci-
 dentis fiat, quæ enterocoele dicitur, aut ipsius omenti, quæ vo-
 catur epiplocele. Distinguendus tamen hic clamor sano-
 rum infantum ab illo est, quando sub partu, aut confestim
 post hunc infantes convulsivo corripiuntur affectu, sub
 quo anxium etiam clamorem, haud tamen ploratus instar,
 continuantem, sed ut ajunt insultantem, aut acclamantem
 sonitum ein auffschreyen exprimunt, ex quo, quippe inso-
 lito, & tono & gradu & successu se distinguente, sub con-
 ciliatione reliquorum indiciorum, in modo nato infante ob-
 viorum, facile status sanus & morbosus in infante agnosci &
 discerni poterit: quare hic ploratus sanorum naturalem ta-
 lem ejulatum comprehendit, es sey ein ordentlich und na-
 türlich weinendes Schreyen der Kinder.

§. VI.

Et ita haftenus explicatus ploratus infantum sub par-
 tu indicium vitæ, sanitatis, virium & roboris existit, quo-
 niam ad commotionem pulmonum & asperæ arteriæ, sub
 illo clamore succedentem, hucusque inconsuetam, omni-
 no singulares vires requiruntur; quia natu major, subin-
 de autem debilior homo vix moderatam vocem edere, ne-
 quidem clamare potest, man könne vor Mattigkeit kaum
 den Mund regen und ein Wort sprechen: quare JCrri etiam
 ex ploratu fœtum vivum & vitalem i. e. durabilem agnove-
 runt, teste Paulo ZACCHIA Quæst. med. legal. Lib. 1. tit. 2.
 qu. 7. n. 3. & 20. dicente: Fœtus si vocem emittit, pro vitali
 habetur: nec vitalis est, si neque ploret, nec vocem emittat:
 Præterea notatu digna est observatio, quam sequentibus
 pro-

profert CARPZOV. in *Jurispr. Forensi Lib. III. Constit. 17. definit. 19. p. 1092. 1093. an ergo necesse non erit ad hoc, ut partus in hæreditate & feudo succedere possit, clamorem ejus intra quatuor parietes exaudiri: Scio equidem Jura Saxonica hoc velle in artic. 20. Lehn-Recht ibi: Wann ein Sohn, der nach seines Vaters Todt geböhren wird, so lange lebet, daß man seine Stimme gehören mag, in den vier Wänden des Hauses, so ist er beerbt mit seines Vaters Lehen &c. artic. 33. ibi: an vier Mäuren, die das gehöret haben, Lib. 1. Land-Recht Glossa in artic. 94. Weich-Bild. Sed verbis hisce nil aliud vere requiritur, quam ut posthumus vivus edatur, quod & satis expressum est in artic. 33. in pr. Lib. 1. Land-R. ac convenit id ipsum Sanctioni Justinianæ in l. 3. C. de posthum. hæred. Quod vero dicitur clamorem ejus exaudiri debere, istud magis est demonstratio & declaratio quædam rei, quæ non requiritur, si per alium modum rei demonstratæ habeamus notitiam. JASON in l. quod dicitur 12. n. 7. ff. de lib. & postb. Nimirum voluit Jus Saxonicum denotare, quid vocaret partum vivum, puta cujus vox intra quatuor ædium parietes sonaret, quare licet partus vocem non emisit, attamen si vita ejus ex aliis signis, puta motu corporis, pedum, brachiorum, anbelitu & similibus deprehendatur, nihil amplius desiderabitur & frustra clamor ejus expectabitur. Inde patescit, hunc clamorem, aut ploratum indubium indicium fuisse, quo vita, vigor atque robur nati infantis confirmari potest; desideratus itaque est clamor adeo distinctus, clarus atque manifestus, qui in loco, ubi mater peperit, in singulis angulis, aut parietibus, certa distantia separatis, percipi potuit: ideo de hac observatione olim *Proculiani & Sa-**

biniani in contrarias abierunt sententias : ita CARANZA de Partu naturali & legitimo cap. IX. n. 12. p. 437. differit: Proculianorum & Sabinianorum sectas inter se concertasse testis est Justinianus (nec enim in digestis dissensionis istius vestigium ullum exstat) in l. quod certatum 3. C. de posthum. hered. instit. in eoque quaestionis & difficultatis summam utrosque constituisse ; an vocem recens natus emitteere deberet, ut succedereet, vel testamentum paternum rumperet. Proculianis id ita asseverantibus & attendentibus vocem emissionem velut indice certo denotantem partum a natura provenientem suoque tempore editum, nec enim vagitus (de istorum sententia datur in tenero & recens formato & animato homine, sed in eo tantum, qui ultimam recepit perfectionem, & membra solida & apte compacta nactus est: de Sabinianis idem author refert, quod contrariam sententiam tenuerint. Inde inclarescit, hunc ploratum infantem corpore, viribus & partu perfectum, maturum & robustum denotasse: quare CARANZA pro suo scopo atque respectu Peculianorum sententiam & regulam, a vocis emissionem desumptam, certioerem & multo aptioerem dijudicat, vid. n. 26. p. 442. pergit illico: ex hoc probari videtur ex ARISTOTELE Lib. 7. de animal. histor. cap. 10. ubi vocem ab his tantum edi posse supponit, qui perfecta, temporeque congruo nati sunt, de quibus inquit, egressi statim vocem emittunt: ut enim sermonem exprimere illi soli possunt, quibus (ut ait Hippocrates in lib. de carnibus) toto corpore spiritum trahere datum est in suas cavitates, qui foras pulsus strepitum facit: ita ad efformandam vocem, quae infantum vagitui inest, opus est membris solidis & perfectis, aërem percipientibus & iterum percutientibus firma gutturis motione, quod

quod bis tantum evenire potest, qui apto & maturo tempore nati fuerint.

§. VII.

Generatim itaque ex hoc clamore *¶ Cui vitam*, proinde & seorsim *sanam*, vegetam & *firmam* vitam colligunt; quamvis in solo illo ploratu vitam colligendam & ponendam esse merito excipiant: de vivo infante differit *¶ Job.* Georg. SIMON *Præsid. Academ. Part. 1. diss. 3. de Justitia hominis circa animam cap. 1. th. 2 p. 168. 169. vivum fuisse natum, nil facit an supervixerit, an mox decesserit, licet vox non fuerit audita, quod male requirit Job. a SANDE in Decis. Fris. Lib. 4. t. 8. def. 8. quia ex vagitu quidem recte infertur vita, sed male ex ejus defectu mors. vid. Dn. STRYCKER. de Success. ab intest. c. 2. art. 1. §. 10. BRECH. ad l. 129. d. V. S. quia vita non solum vagitu, sed & motu, respiratione aliisque probari potest modis, vid. SIMONIS diss. de tempor. præscript. th. 14. quamvis hi posteriores nonnunquam fallere queant, utpote annotavit Job. MASCARDUS de probatione Conclus. 1151. Vol. 3. n. 14. p. 15. potest enim mortuus etiam aliquando & per accidens aperire oculos attrahere tibiam, aut brachium forte propter debilitatem nervorum: potest insuper emittere aërem ex pulmone & tamen non sequitur, ipsum propterea vivum esse natum. Quod enim mortuorum clamorem attinet, qualem KORNMANNUS in *mirac. mort. Part. 4. c. 5. 6. 17. 32.* allegat, tunc narrationes tales multa adhuc indigent demonstratione; de *Loquela mortuorum* vid. GARMANNUS *de mirac. mort. Lib. 1. tit. 5. §. 18. Lib. 2. tit. 5. §. 53. de superstitiosa cadaverum Loquela conf. Casp. REJES. Camp Elys. juc. qu. 31. n. 14.* Hæc testimonia illa occasione allegare placuit, quia Simon*

ad

ad illud indicium provocavit, quod mortui interdum *ron-*
cbum, sonitum, strepitum, clamorem edant, de quo ad-
 stantes non modo valde contremiscunt, sed & *mala omina*
 & prodigia formant: Præcedentibus annotationibus,
 quæ de auditu clamoris recens natorum testimonium per-
 hibent, & quomodo ille accipiendus, explicandus & ap-
 plicandus sit, addimus suffragium WILDVOGELII *diff. de*
Jure Embryonum cap. 3. tb. XI. Unde satis innotescit, quod
 auditus hujus ploratus signis, vitam & *vigorem* infantum
sub partu confirmantibus, annumeratus fuerit. Hisce ve-
 ro disquisitionibus annectimus *alteram* hujus annotationis
 considerationem, quænam *exceptiones a regula* & illo,
 quod *communiter* contingit, in hac observatione de plora-
 tu infantum *sanorum* sub partu, attentionem & concilia-
 tionem mereantur: Haud quidem inter hæc exceptio-
 nes locum invenit, quod infantes, licet imposterum *muti*
 permaneant, *taciturni* tamen, insuper autem *sani* partu na-
 turali emittantur: a *potiori* enim, & quod *ut plurimum*
 contingit edisserendo, evenit infantes sanos sub partu cla-
 mare & plorare: & licet *muti* homines *articulatam* vocem
 proferre nequeant, *inconditum* tamen sonum e pulmonibus
 & ore producere possunt, quibus non solum *animi*
sui sensu aliquatenus, æque ac bruta, significare possunt,
 ut alii, qui eorum *familiari* fruuntur consortio exinde be-
 ne intelligere queant, indeque etiam *Loquela personalis*
Mutorum formari possit: quo conferri merentur *intricati*
 illi processus *inquisitionales* mutorum & surdorum, in
 quibus *horum* depositiones & *confessiones* certo modo col-
 lectæ fuerant, sed & *clamare*, *plorare*, *ejulare*, *jubilare*,
gaudere, *ridere*, *cachinnare* &c. communiter valent, ut
 in

in paucissimis eorum absoluta omnis sonitus interceptio, aut plenaria aphonia deprehendatur: ob id futura mutitas vix impedit, quin sani tales infantes sub partu similem distinctum ploratum proferre queant: Præterea quidam infantes, reliquo licet corpore sani & vegeti comparentes, in faucibus vero larynge & pharynge, ad asperæ arteriæ initium & progressum vitiosam conformationem continentes, æque sub partu impediuntur, quo minus adeo clarum ploratum edere valeant, ideoque rauco & obscuro sonitu sese tantummodo prodere soleant, ut propterea modo natorum infantum curam ac regimen habentes, ob reliqua sanitatis indicia obvia & manifesta, facile vitiosum in ore statum præsumere ac prædicere possint; Sicut uvulæ vitia, (quia illa etiam ad Loquelam iuvat & vocis modulationem adjuvat, juxta A. N. C. Dec. I. an. 5. obs. 16. aut plectrum constituit, docente & ducente WEDELIO Exercit. Philolog. Medic. Cent. I. decad. 1. exerc. XI.) hunc ploratum æque impediunt, quo minus altus, acutus, canorus, clamorosus, sed magis raucus, depressus & obscurus evadat.

§. VIII.

Præterea etiam aliquando contingit, ut infantes sani, robusti & vegeti sub partu nullum ploratum proferant, quando in iisdem puerperis non modo sanus fœtus ad instantem partum interna spontanea & naturali, sed & externa manuali obstetricia adminiculatione moderate, prompte & legitime, situ præcipue congruo aptatur atque dirigitur, insuper ipse superveniens partus tempestivus, temperatus, levis, alacris & facilis, nec valde dolorificus & operosus est, ut ita leni successu, brevi & levi opera partu fœtus talis ad lucem producat, sie sey bald und leicht des
D
Kindes

Kindes genesen, daß das Kind keinen laut habe hören lassen, es sey auf Seiten der Mutter und des Kindes ganz still zugegangen: quare fœminæ quædam de eo non parum gaudent, quando tam *clanculum* ac *secrete* pariunt, atque ex improvise aliis similem lætitiâ causantur; quare aliæ loquaces & *divinatrices* mulierculæ confestim *prognosticum* ferre solent, es würden rechte Friedens-Kinder werden; quædam e *supellectili superstitionis* & affectatæ πολυμαθίας suæ prædicere solent, es würde demähleinst dieses Kind einen gleichen leisen, stillen und leichten Ausgang aus der Welt haben, welcherley es in die Welt gehabt. Porro tam tranquille & *tacite* partu *sani* eduntur infantes, quando *præparatoria* ad partum accelerata sunt, hujusque *totus* processus *præcox* ac *subitaneus* est, insuper autem fœtus uteri *orificium* *celeriter* intrat & *penetrat*, ut tali *præcipitantia* infans urgeatur; id quod interdum *honestæ* experiuntur puerperæ, si præter expectationem partus illas corripit, ut externo *obstetricatorio* officio *haud* indigeant: idem etiam testantur aliæ, *illicita* & *inhonesta* miscela, *ingravidata*, quæ *imprægnationem* suam *occultaverant*, tandem *præcipiti* obruuntur partu, & sub *inquisitionis* processu constanter indicant & edicunt, se *brevissimo* temporis termino peperisse, ut infantem *vix* senserint, das Kind sey so geschwind von ihnen gekommen, geschossen, oder gefallen, daß sie es kaum gefühlet, noch weniger gespühret, daß es sich gereget, noch schreyen hören. Accidit ulterius, ut *sanus* atque *vegetus* fœtus proxime *ante* partum *celeri* ac *strenua* *inversione* in utero *pristinum* corporis sui situm *immutet* ac *capite pronus* in sinum uteri vergat; interea autem *subito* *forti* ac *citata* hac *circumvolutione* *funiculo* umbilicali *collum;*

collum circumlaqueet, ac præcipiti subinde urgeatur partu, sub quo confestim uteri claustrum egrediens infans, paulo firmitus collo circumstringitur, ut in extemporaneum strangulationis metum incidat, ut ceteroquin adhuc in tam brevi temporis circuitu sanus existat, modo aëris liberior accessus & regressus per organa respirationis, succincta sub hac mora, interceptus & impeditus sit: ob quam difficultatem & stricturam sub partu ploratus ille inhibitus esse observatur, ut ob defectum hujus & conspectum illoqueati colli sine ulla mora vincula hæc stringentia recludi ac liber aditus aëris tempestive promoveri & adjuvari debeat & inde brevi post eveniat, ut recens natus infans manifestis vitæ, sanitatis, ac roboris signis se prodatur: singulæ autem hæ circumstantiæ brevissimo circumscriptæ sunt temporis ambitu, alias in renellulo infante hæc ligatura cito ac facile sanitati & vitæ præjudicare solet: Tandem etiam interdum accidit, ut sub citiori partu fœtus hæctenus membranis suis inclusus subito inde sese extricet, ut contentæ aquæ effluant, eodem autem tempore uterina placenta avellatur, & ita uno actu & tempore fœtus cum reliquis appendicibus exprimatur: sub quo tam celeri processu contingit, ut fœtus, uteri ostium transiens, statim aërem adspirantem hauriat & dum plorare inchoat eodem tempore una aff. & effluentem aquosetatem & sanguinem uterinum cito ingerat & ex parte deglutiat, ob impletam autem gulam & os ita obturatum eodem tempore ab illo plorante clamore desistere teneatur; ideoque sanus, sed tacitus paritur: inde aliquando evenit, ut infantes brevi post partum illam humiditatem aquoso-sanguinolentam, quam sub partu hauserant & ingurgitaverant, vomitu,

D 2

aliis,

aliis, harum circumstantiarum non gnaris, *terribili & sus-
pecto, sanguinolento denuo rejiciant*, qui tamen iisdem
infantibus magis *salutaris* observatur.

§. IX.

Ultimum præsentis tractationis membrum adhuc
restat, ut etiam *Causas physico-medicas* hujus ploratus in-
fantum *sub parvo* indicemus: in præcedentibus annota-
vimus, quid *Œri*, de hoc clamore judicent, & *quorsum il-
lum applicent*; hoc loco nonnulla judicia *Theologica* de
hac ploratione præmitteremus: reminiscimur autem sub
hac meditatione illius effati autoris *Libri Sapientiæ* (qui
Pbilo Judæus fuisse fertur) *cap. VII. 3.* & ego *primam vocem*
similem omnibus emisi flens, aut plorans: præterea supe-
rius *Cypriani & Augustini* cogitationes & judicia de hoc
ploratu allegavimus, quibus addimus *KORNMANNUM*,
de mirac. viv. p. 6. cap. de primo plactu nascentium, quam
observationem hinc exorditur verbis: *Innocentius in li-
bello de miseria hominis dicit sic: omnes nascimur ejulan-
tes, ut naturæ miseriam exprimamus: DANNHAUER Laß.
Catech. Part. I. p. 292. 293. inquit: AUGUSTINUS Lib. VI.
contr. Julian. c. 113. brauchet zu einen Beweis der Kinder
Weinen und Thränen, damit sie das Licht des Lebens begrüß-
sen: dispendia, quæ nascentes flendo testantur, dicitur,
quo merito sub justissimo & omnipotentissimo judice eis,
si nullam peccatum attrahunt irrogatur: Wann bey klei-
nen Kindern keine Erbsünd wäre, warum würden sie die
Welt mit Ach und Wehe anschreyen: & Part. V. pag. 905.
Ein erbärmlicher Standt, den der Mensch selbst ausruft, so
bald er an die Welt kommt: Er heulet und schreyet das Licht
des Tages an: Ach und Weh, das hat er von der Ehr seines
Vaters*

Vaters und Mutters, und sonst nichts mitgebracht. *Part. VI. p. 596. repetit: O wie wahr hast du Jacob, du lieber alter Greiß! da du sagest, wenig und böß ist die Zeit meines Lebens, die Kinder so bald sie an die Welt kommen, stimmen mit zu was Jacob erfahren, davon Heulen die Kinder, so bald sie dieser Welt ansichtig werden = = Last uns nur die Kinder fragen, die gebohren werden, warum sie ihr Leben, mit Weinen anfangen, da sie doch Lachen könten! Was die Kinder heulen, das singen wir allzumal: Von allen Ubel uns erlöß, es sind die Zeit und Tage böß 2c. Hisce interpretationibus accedit testimonium Heinrich Müllers in geistl. Erquick = Stunden 283. Betrachtung Weinend kommen wir ans Licht und ist Weinen aller Menschen erste Stimme: id. in Evangel. Schluß-Kette Dom. Esto mihi Conc. 3. p. 251. a. An deinem Geburts-Tag trittstu ins Leiden hinein, dann Weinen ist deine erste Stimme: quando infans plorabat nascens, sagt AUGUSTINUS propheta suæ calamitatis erat. Annuit SPENERUS in Theol. Bedencken 1 Th. cap. 2. artic. 5. Sect. 1. p. 130. Die Kinder treten gleich in dieses Leben mit Weinen ein, die also nichts anders thun, als Gott um Gnade bitten: tandem etiam SCRIVERI assensum subjungimus, qui in Seelen-Schatz 1 Th. Conc. 2. exord. §. 1. eloquitur: Der Anfang des menschlichen Lebens, ist ein Anfang alles Elendes; das Kind so bald es den ersten Odem aus der gemeinen Luft schöpffet, hebt es an zu weinen, als wolte es sein angehendes vielfältiges Elend betauern. & Part. IV. conc. XV. §. 10. Wann der Mensch zuerst ans Licht der Welt gebohren wird, so offenbahret er, daß er lebe mit Schreyen und Weinen. CAMERARIUS in Syllog. Memorab. Cent. XI. part. 1. inquit:*

Sapientissime sane Plato dixisse videtur, quænam pars calamitatum ætatis vacat? nonne statim a principio plorat, ut primo natus est infans & vitam a lacrymis auspiciatur. Ex hoc itaque ploratu prædicti viri initiantem hominis miseriam, afflictionem & calamitatem colligunt: ejusmodi enim planctus & plorantes clamores non cum lacrymis lætitiæ consentiunt, sed cum dolore, passione, tristitia & afflictione, sicut ipse partus semper dolorem comitem habet, juxta divinam sententiam Genes. III. 16. deinde Jova Deus ad mulierem dixit: ego te multis doloribus ærumnisque adficiam: tu natos cum dolore paries: id etiam suo exemplo suaque experientia probavit Rebecca Gen. XXV. 22. (non attenda illa insolita, rarissimaque observatione HAGENDORNII Cent. 2. histor. 100. de doloribus parturientium absentibus, conf. SORBAIT. Medic. Pract. tr. 1. cap. 84. qu. 7. p. 469.) adeo ut nec Virginem Mariam, nec ipsum Salvatorem (quia juxta Ebr. II. 17. per omnia fratribus similis esse debuit & cap. IV. 15. qui in omnibus similiter periclitatus est, citra peccatum) qui etiam nostras infirmitates sustinuit ab ejusmodi partus molestiis atque doloribus immunes fuisse, judicemus; licet LUTHERUS in Concione quadam F. Purif. Mar. Edit. Opp. Lips. Part. XII. p. 413. b. indicet, (a cujus tamen partibus quoad hanc sententiam non stamus) andere Weiber kommt das Gebähren nicht mit Lachen oder Kurzweil an, sondern sie müssen Angst und Schmerzen drüber fühlen, wie GOTT zu Heva sagt: mit Schmerzen solt du Kinder gebähren: aber allhier (videlicet partu Christi) ist es ohne Schmerzen und Bersehrung zugegangen, und eitel Freude gewesen, da sie das Kind gebohren hat = = über alle andere Weiber, auch über Eva geht das Gebot:

Gebot: mit Kummer solt du Kinder gebähren, die müssen Angst und Schmerzen fühlen: aber also sauer, mit Angst, Noth und Schmerzen ist Maria ihre Geburt nicht ankommen: *Magis partes DANNHAUERT Lact. Catech. Part. V. p. 917. suscipimus, ita inquentis*: Nicht nur ist das liebe Christ-Kindlein in tiefer Armuth und Dürftigkeit gebohren, sondern auch nicht ohne Geburts-Wehe in Geburts-Schmerzen, nicht ohne schmerzliche Eröffnung der Geburt-Schloß seiner Mutter an dieses Tages Licht gesetzt: das Wort παραπλήσιως, machet es ganz aus, wann St. Paulus schreibet *Ebr. II, 14.* Nachdem nun die Kinder Fleisch und Blut haben, ist ers gleichermassen theilhaftig worden; ohne Vorleuchtung heiliger Schrift, läßt sich hie kein Wunder-Werck dichten. *Sic enim Patres Hieronym. Epist. 22. ad Eustoch. novem Mensibus in utero ut nascatur, expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur. TERTULLIAN. Lib. 3. adv. Marcion. partiariorum errorum Marcionitarum vocat, qui sordes partus inquinamenta Christi indignos judicant. Leo M. ad Leonem Augustum ep. 97. cap. 3. Dei imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit & per conceptionem partum: hinc consentientem producimus SPENERUM Lauterkeit des Evangel. Christenthums 2 Theil p. 38. Part. I. p. 99. 113. 114. Part. II. p. 166. n. 2. Christus ist mit seiner und seiner Mutter Schmerzen gebohren.*

§. X.

Nostri autem fori ratio postulat, ut nunc physico-medicas causas hujus ploratus indicemus, quoniam anxius ille clamor singularem eoque magis fonticam causam involvit, dum fœtus vinculo, carcere ac squalore suo emissus, non exultat, sed lamentatur: in hac causarum indagatione

gatione præcurrerunt antiquiores, e quibus PHILO JU-
DÆUS *Lib. de Mundi opificio pag. 28.* hanc protulit senten-
tiam: *plorat infans recens editus nimirum dolens propter*
frigus, nam e calidissimo loco vulvæ, in quo longo tempore
habitaverat progressus repente in oëreæ frigidum & inas-
suetum sibi, velut ictus eo sentit, doloris atque vexationis
manifestissimum fætu præbens indicium: Similes causas
physicas adducit SENECA in Consolat. ad Marciam cap. XI.
inquiens, quocunque se movet infirmitatis suæ statim consci-
um non omne cælum ferens, aquarum novitatibus flatuque
non familiaris auræ & tenuissimis causis atque offensionibus
morbidum, putre, cassum a fætu vitam auspicatum. Diver-
sas alias & ex parte *fabulosas & superstitiosas* physicas &
hyper physicas causas enarrat ex *aliorum* traditione & opi-
nione *Casp. REJES. qu. 55. n. 3. 4. 5.* quæ vero vix attentio-
nem & assensionem merentur. Quare aliæ perspicuæ &
veritati rectius consonæ indicandæ & subjungendæ erunt.
Primo itaque fœtus *corpore* admodum mollis & *tener*, sub-
inde etiam valde sensibilis, *levi* quaque causa facile &
eximie offenditur & alteratur, ita ut incrementa & com-
plementa *partus* ipsi æque ac matri *molesta* & ex parte *dol-*
orosa existant, quæ *generatim* tenellulum fœtum *angunt*
& affligunt: ut *externum* signum sub *aliarum* circumstan-
tiarum & mediorum concursu, doloris & præsentis cala-
mitatis proferat, & hæc *innata* est animæ affectio, ut illa-
tam *afflictionem* non *Catonica morositate*, nec *Stoica* eaque
simulata occultatione & suppressione, nec *stupida aliqua*
insensibilitate, nec *obstinata quadam repugnantia*, sed sen-
sibili perceptione, aut manifesta *querela*, aut interno *dolo-*
re prosequatur; id quod etiam hac in necessitate præcipue
con-

contingit, qua præter ullam adsuëtinem sub partu fœtus *sat crasse* tractatur, qualem afflictionem non alia, quam hac tristitiæ & querimonix specie significare valet: Deinde ob partum & sub illo *motus sanguinis* tam in *pariente* matre, quam *fœtu* valde alteratur, dum *spasmi uteri* non modo in hac parte *copiosum* in sanguiferis canalibus contentum sanguinem eximie *quaquaversum*, tam *intra fœtum*, quam *intra hypogastricas & spermaticas* venas matris comprimunt, ac *intensiori* hoc motu magis *exæstuant* & impellunt, sed & *majorem angorem* causantur, quæ *media sanguinem fortius* exagitant ac *calefaciunt*, ut *pulsus* in puerperis *validior*, plenior, rapidior, major & celerior compareat; hinc *parturientes* valde *æstuant*, proptereaque facilius & intensius *sudant*, deinde etiam toto corpore magis *rufescunt*, & ob *fortiorem largioris sanguinis* in *peripheriam* corporis impulsam, *intumescunt*: idem etiam in *fœtu* contingit, qui quando *sokus & vegetus* existit, totus *æstuaus, rubens & tumens* partu editur, ut eapropter mulierculæ eloqui sciant, *Die Kinder sehen nicht schöner aus, als wann sie nur geboren worden*; hunc *ruborem* etiam annotat LUTHERUS in *Genesis cap. XXV, 24 26.* quando de *partu sano & legitimo* testatur, quod singuli infantes *rubelli* pariantur: aut ut LUTHERI verbis *Tom. II. Comm. in Genes. fol. XV.* eloquar: *Edom significat rufum: necesse est autem fuisse in eo singularem rubedinem: nascuntur enim alias omnes infantes rufi, & post partum etiam rubent: & hic intensior motus sanguinis matrem & infantem angit & molestat, qui propterea reliquas molestas sensationes & afflictiones auget talemque ploratum promovet; prout alias in natu provectioribus constat, quantum eos nimius æ-*

E stus

itas angit & molestat; ita etiam de *pusionibus* comper-
tum est, quod sub *æstuoso* regimine *parum dormiant*, valde
inquieta appareant, multumque plorent, könnten vor Hitze
nicht ruhen und schlafen, wären darüber so unleidentlich etc. id
ipsum tanto magis in *tenerioribus* iisque contingit, qui
modo ex *utero*, tanquam *sudatorio*, sub *partus* processu,
eo magis exæstuato, educuntur, æque ac *infantes e densis*
lectis ferventes & sudantes, valde tamen *quiritantes & plo-*
rantes protrahuntur ac liberantur.

§. XI.

Hunc causarum *naturalium* numerum, *ploratum*,
sub *partu* provocantium, auget etiam *situs* ille fœtus in *u-*
tero, qui alioquin ad *faciliorem* partum maxime *commo-*
dius existit, quo *capite* ad ostium *pronus* partus successum
modo expectat, & dum Deus hominem *erectum* creavit,
hic *situs* non modo *inversus* apparet, sed & perquam *mo-*
lestus est, qui adeo *diu ante* partum non commode conti-
nuat, quare *decubitus* humorum versus *cor* & *intra caput*
graviore *anxietates* excitat, præprimis cum plurimæ gra-
vidæ non *decumbentes*, sed *sedentes* pariant; quando ita-
que infans tota reliqua corporis sui *mole capiti* incubat,
tunc hic *situs* molestias & angores *aggravat*, licet succe-
dens & *superveniens* ploratus sub *meliori* situ sanguinis
congregationem a *corde* & *capite* denuo *discutere* & re-
solvere adjuvet, præprimis quando jam sub *respirationis*
initiis ille per *pulmones* dispergitur & *novum* illico cursum
ac *progressum* exorditur atque suscipit: ita ut *una* causa
alteram excitet & impellat. Concurrit insuper hæc cau-
sa, quando jam ipsi motus *spastici*, uterum stringentes &
æterum exprimentes, hunc *iterato nisu*, *pressione*, *trusione*,
impul-

impulsu intra *angustum* passum & *arctum* orificium, *affligunt*, aut *molestè* afficiunt, quæ *compressio* nunc *rigidius* atque *fortius* continuat, quando jam *infans capite* & *reliquo corporis trunco* illud orificium *penetrat*: sub quo processu sane *non modeste ac leniter*, sed *valde molestè* ac *ru-di motu* adigitur atque *urgetur*: haud enim ita *tacite* *infantes ex utero* elabuntur, sicut *mulieres* confitentur & *exclamant*, *Die Kinder entfallen einem nicht so leicht*, ideo *spasmi*, *partum* constituentes, *infantem sanguine jam inflatum*, *valde torquent* atque *premunt*, ut propterea ad *ejusmodi plorantes querelas* adigantur; *testimonio & exemplo eorum infantum*, qui post partum paulo *arctius*, *pressius & immodestius* fasciculis, aut *involuminibus* implicantur, *subinde autem molestiam*, quam inde sentiunt *calcitracione pedum & torsione brachiorum*, maxime autem *clamore & ejulatu* testantur atque significant: quare *molliter* fasciandos esse *infantes* necesse est, *vid. SORBAIT. Medic. Pract. tract. 4. cap. 6. p. 567.* Magni etiam momenti hæc ratio est *annotanda*, quando *aperto* jam *uteri orificio* ac sub *egressione* *infantis ex illo*, *aër externus* jam *proximius* ad eundem *accedit*, ipsumque *allicere* atque *ambire*, ut sub *reliquis afflictionibus & irritamentis* *primos ducat gemitus*, ideoque *aërem intra pulmones* *primitus excipiat* *hauriatque*, sub qua *prima pulmonum expansione* *sanguis ebulliens* *plenius & intensius* *vasa pulmonalia* *intrat*, ut sub *singularum harum circumstantiarum concursu* *infans initantem* *hunc aëris usum* in *pulmonibus* *cum tali ploratu* atque *clamore* *combinare* *sciat* *soleatque*; quo *largius* *dein ac liberalius* *aër infantem* *sub plenario exitu* *extra uterum* *attingit*, eo *magis illum* *ad eundem clamorem* *stimulat* atque *disponit*,
E 2
qui

qui sub reliquis *aliis* irritamentis eo usque continuat, donec aliqua *quies* eidem procuretur, & *pristinæ vexæ* cessent: harum causarum numero accedit *affluxus aquæ* in involucris membranosis *scæterum circumdantibus*, antea collectæ, quæ nunc caput, faciem, aures &c. infantis alluit, quid quod aliquatenus *meatum auditorium* intrat, daß ihnen das Wasser in und um die Ohren ein- und herunter läuft, quæ aspersione illos æque *molestat*, ut ad plorandum commoveantur, sicut alias *pressiones humectationem* atque lavationem in capite & facie ægerrime perferunt, ideo ita *enormiter clamant*, ac si veru affixi essent: Tandem hisce causis sociamus *aggressionem & tractationem obstetricariam*, qua sub partu infantes afficiuntur: illa pro *necessitate* circumstantiarum urgente, aut *rudi enchiresi* hæc ope fungentium, aut *crassa* atque immoderata *imperitia*, raro valde *lenis* atque modica, ut plurimum autem *fortis*, sensibilis & *strenua* est, qua perinde *tenelluli* infantes perquam irritantur & molestantur, ut clamores tales anxio ploratu edant. Et hæc sunt *causæ physicæ* manifestæ, quæ signis suis *sensibiles* sunt, nec ulla opinione, suppositione & fictione nituntur. Quare præsentis observationis explicationem nunc ad exitum ducimus, DEO que T. O. M. pro almo suo ad hanc opellam auxilio humillimas habemus gratias, eumque ardentissimis imploramus precibus, ut cælesti suo *moderamine* huic labori ac reliquis nostris studiis exoptatis.

simos conferat successus, & desideratissimum largiatur

F I N E M.

Die



Die Ehre folgt der Tugend nach, durch Fleiß
und emßiges Bemühen
Kann man mit Freuden veller Hand
Diß angenehme theure Pfand.
Als ein vollkommnes Guth, nach Wunsch und
Willen an sich ziehen.

Geehrt und werthgeschätzter Freund, da
heute sich nun auch die Stunden
In welchen mit verklärtem Glantz
Hygea Dir den Lorbeer-Kranz
Nach Würden überbringt, mit vielen Freuden
eingefunden;

So freu ich mich recht sehr mit Dir, und wün-
sche Dir nebst viel Vergnügen
Daß Deine Cur und Arzeneey
Ein steter Tod des Todes sey
Und daß die Parcen selbst erblast zu Deinen
Füssen liegen.

Sey

Sey vielen eine Gold-Tinctur, die ihnen das
 halb todte Leben
 Die ihnen die verlohrene Krafft
 Durch ihre Wirkung wieder schafft
 So wird ein Korn Gold, Dir viel hundert
 andre davor geben.

J. H. K.

